



De diarrhoea

<https://hdl.handle.net/1874/325714>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

DIARRHOEA.

алданим биши отаткын

шешлүктүр

2

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

DIARRHOEA,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI FRANCISCI SUERMAN,

MED. DOCT. ET PROF. ORD.,

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

M E D I C I N A

HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO - TRAJECTINA ,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

JANUS BRUNE,

TIELA - GEZRUS.

A. D. XXIII M. OCTOBRIS, A. MDCCXLVII, HORA V.

TIELÆ,
APUD **A. VAN LOON.**

MDCCXLVII.

СТАНОВИЛОСЬ ДЛЯ МЕНЯ ПРИЧИНУ

ДЛЯ ОБРАЗА.

И МАХ ВЕДЕЛА ТАКУЮ

ПОДСКАЗКУ, ЧТО Я ПОДСКАЗЫВАЮ

СВОИМ ДРУГИМ СИЛЬНО

СДЕЛАТЬ СЕБЯ ПОДСКАЗКОЙ.

СТАНОВИЛОСЬ КОМПЛЕКСНОЕ ИССЛЕДОВАНИЕ

ДЛЯ ОБРАЗА МОИХ ДРУГИХ

СДЕЛАТЬ СЕБЯ

ПОДСКАЗКОЙ, ЧТО МОИ ДРУГИЕ

СДЕЛАЛИ СО МНОГОМ МОИХ ДРУГИХ

СДЕЛАТЬ СЕБЯ

ПОДСКАЗКОЙ, ЧТО МОИ ДРУГИЕ

СДЕЛАЛИ СО МНОГОМ МОИХ ДРУГИХ


СДЕЛАТЬ СЕБЯ

ПОДСКАЗКОЙ, ЧТО МОИ ДРУГИЕ

СДЕЛАЛИ СО МНОГОМ МОИХ ДРУГИХ

PARENTIBUS
OPTIMIS, CARISSIMIS,

SAGRUM.



PRAEFATIO.

Quum, ex lege Academica aliter fieri nequeat, quin, qui lauream Doctoralem petat, specimen aliquod exhibeat, huicce legi, finito mei academicii studii curriculo, pro viribus satisfaciam. Quot autem et quantis difficultatibus prematur argumenti alicujus tractatio, non opus est, ut dicam. Quamobrem, quidquid in hoc specimine minus elaboratum inveniant vel omissum putent Lectores benevoli, id virium juvenilium tenuitati concedant, etiam atque etiam rogo.

Antequam vero hoc qualecunque opus ad finem perducam, pium mihi superest officium, ut *Vobis, Viri Clarissimi, Suerman, Schroeder van der Kolk et Loneq, Medicinae facultatis in hac Academia Professores celeberrimi, Praeceptores optimi! gratissimum significem animum pro egredia vestra institutione, vestrisque monitis et consiliis, quibus studia mea, maxima benevolentia adjuvistis et provehere conati estis.*

Atque utinam in his compellare liceret Cl. Io. Andr. Mulder, quem, dum in vivis esset, ducem habui benevolum. Hunc tristi fato nobis, et arti Medicae ereptum, ex animo lugemus. At nomen ejus, honorque et in alias merita semper manebunt.

In primis autem tibi, carissime Praeceptor Loneq, Promotor aestumatissime! gratias debo quas possum habeoque maximas, pro benevolo auxilio, in hac scriptiuncula elaboranda mihi praebito aliisque multis humanitatis et amicitiae documentis, quibus per Academicae meae vitae curriculum semper me afficere voluisti, quorum gratissima mihi semper erit recordatio.

Quid tibi debeam, sentio, semperque me gratum Tibi futurum spondeo. Ut pergas me in amicitiam recipere et benevolentia prosequi, unum est quod maxime in votis habeo.

Utinam D. O. M. Vos, Viri Clarissimi, Vestrosque diu servet incolumes in Academicae gloriam salutemque patriae.

Vobis denique, amici conjunctissimi! qui jam fere omnes hancce Musarum sedem reliquistis, quorum vero amicitia dulcissima, per cursum academicum, frui mihi licuit, salutem mitto, semperque nos jungat amicitia, etiam atque etiam opto.

Quod et in primis vobis dictum volo, qui mecum in sodalito: Felix qui potuit rerum cognoscere causas, vel in collegio Senatus Veteranorum brevius aut longius versati estis.

Valete omnes! Vivite felices, meique mores!

DE DIARRHOEA.

§ 1.

De diarrhoeae notione universe.

Variis temporibus varii auctores diarrhoeam varie definiverunt. Ceteris autem definitionibus fere praferenda est *Gaubiana*, quae his verbis continetur: »*Diarrhoea, ventris profluvium, est frequens et copiosa materiae liquidae per alvum excretio, ab idiopathica, vel sympathica intestinorum affectione repetenda*“ (1).

(1) *Institutiones path. med. auctore H. D. Gaubio*, pag. 447. § 801.

Diarrhoea igitur idem est, quod ventris profluvium sive ventris fluxus, ut a *Celso* appellatur. Scilicet graccum verbum διαρρόης derivatur a διαρρέω, composito e διά et ρέω, quod significat perfluere sive profluere. Est frequens et copiosa materiae liquidae per alvum excretio. Si quaeritur, quid in hac definitione intelligatur per excretionem frequentem, cum *Celso* respondemus (1), eam ita dici, quae saepius quam ex consuetudine obtineat. Sic etiam copiosa dicitur excretio, ratione habita excretionis habitualis, quae fit in statu sano.

Ex additis verbis: »ab idiopathica vel sympathica intestinorum affectione repetenda,” intelligimus, diarrhoeam, qua talem, non esse morbum, sed morbi symptoma, effectum nempe conditionis morbosae canalis intestinalis latius vel minus late diffusae, quae quidem conditio morbosa tum justo majorem producit membranae mucosae intestinalis secretionem, tum auctum motum peristalticum, proximam cuiusvis diarrhoeae causam.

(1) *Celsus*, de medicina, L. IV. cap. 19.

§ 2.

De symptomatibus diarrhoeae generalibus.

Descriptionem symptomatum diarrhoeae generalium desumimus a *Frankio*, utpote quae ab una parte cinnitate sese commendat, ab altera vero, tanquam ab observatore experientissimo profecta, accurata haberi meretur. »Languor,» inquit, »oppressio ventriculi, appetitus deletus, inflatio, tensio abdominis, obstructio alvi, borborygmi, plerumque, pulsuum intermissio interdum, praecedunt. Sequitur mox dolor ventris, per vices invadens, nunc hanc istius partem, nunc illam quasi discindens, perterebrans; nauseam, vomendi conatum breves inducens, ab alvo, primum faecali, excreta remittens; mox iterum, eadem fluidiore instante, rediurus. Saepe satis vix dolor diarrhoeam comitatur; sed praeviis modo turbis abdominis, flatibus hinc inde divagantibus, sonoris, alyus denuo excernitur liquidior, co-

piosa. Sub hoc vero profluvio abdominis moles ac tensio minuantur quidem in multis, in aliis vero redeunt; et quo major copia humorum ano excernitur, eo magis augentur: meteorismus subnascitur. Urinae interea parcus secidunt, cutis plerumque sicca est. Rarius tenesmus ad anum hic premit, post frequentes tamen alvi excretiones, ardor in recto intestino percipitur incommodus. Continuante per dies, aut ultra, hoc fluxu, vel eodem, licet breviter, sed magna humorum sub jactura absoluto, facies mirum collabitur, pallescit, mutatur; torositas, pinguedo corporis, vel si quis praecesserit, tumor aquosus subcutaneus, disparent; cutis exsueca flaccescit; ulcera, fonticuli exsiccantur, crura vacillant, pedes tumere incipiunt, febricula accedit, capilli decidunt, lipothymiae sequuntur; et vel tabes, vel hydrops, vel novo atque diro, ardente, fixo, abdominis in cavo suborto dolore, praevio singultu vomituque, intestinorum inflammatio, gangraena succedunt” (1).

(1) *J. P. Frank*, de curandis hominum morbis T. V.
pag. 232 seq. Edit. 2. Vienn.

Haec descriptio conspectum continet symptomatum, quae diarrhoeam praecedere, comitari, sequi tum solent, tum possunt, quaeque pro parte ab ipso fluxu, pro parte a conditione intestinorum morbosa, qua producitur fluxus, repeti debent.

§ 3.

Divisio.

Diarrhoea varia ratione dividi potest. Et primo quidem loco pro morbi ipsam excitantis sede, prouti nempe in intestinis solis adsit, vel diarrhoea ab aliarum partium vitio dependeat, *diarrhoea primaaria* est aut *secundaria*; pro decursu et duratione, *diarrhoea acuta vel chronica*; pro complicatione cum aliis morbis, *diarrhoea simplex et composita*; pro ratione ad morbos, quibus supervenit, *diarrhoea critica vel symptomatica*; denique *diarrhoea distinguitur sporadica, endemica, epidemica*.

Ad artis usum autem ceteris accommodatior est divisio, quae nititur diversitate causae propioris diarrhoeam producentis. Hoc respectu distinguuntur:

1^o. *diarrhoea gastrica s. saburralis*; 2^o. *diarrhoea biliosa*; 3^o. *diarrhoea catarrhalis*; 4^o. *diarrhoea mucosa et verminosa*; 5^o. *diarrhoea inflammatoria*; 6^o. *diarrhoea ulcerosa*; 7^o. *diarrhoea nervosa*; 8^o. *diarrhoea atonica*.

Nos, ultimam divisionem in hac dissertatione secuti, singulas diarrhoeae species deinceps exponemus.

§ 4.

De diarrhoea gastrica s. saburrali.

Diarrhoea *gastrica s. saburralis* ea vocatur, quam irritatio ciet intestinorum, intemperantia ciborum potuumque, copiâ aut naturâ peccantium, producta.

Ad causas igitur occasionales hujus alvi profluvi

referuntur errores in diaeta: cibi copiosiores, durae potissimum materiae, pingues, acres, acidi; fructus immaturi, aquosi, acidi; cerevisia acida; vinum austerrum; catharticorum abusus, similia.

Dignoscitur tum e causis, quae diarrhoeam istam produxisse videntur, tum e symptomatibus eam et de-notantibus et comitantibus, scilicet ex cibi fastidio si-ve apositia, capitis dolore, nausea, vomitu, borboryg-mis, ruetibus ingratis, odorem ardentis sulphuris refe-rentibus, abdominis tensione, excretionibus denique liquidioribus, foetidissimis, stercorosis, nunc minori, nunc majori copiâ crudas indigestasque sordes cum muco et sero mixtas ejicientibus atque molestum ar-doris dolorisque sensum in ano excitantibus, imo etiam ani orificium corrodentibus.

Prognosis, siquidem alias diarrhoeae species species, omnium fere faustissima est. Ut plurimum brevis du-rationis est et tanquam salutare naturae molimen con-siderari meretur, quo sordes irritantes ejiciantur.

In hanc scilicet diarrhoeae speciem valent *Celsi* ver-ba: »uno die fluere alvum, saepe pro valetudine est:

atque etiam pluribus, dum febris absit, et intra septimum diem id conquiescat. Purgatur enim corpus, et, quod intus laesurum erat, utiliter effunditur” (1).

Huc etiam spectat aphorismus *Hippocratis*: »In alvi perturbationibus et vomitionibus, quae sponte eveniunt, si qualia oportet purgentur, conduceat et facile ferunt” (2).

Differt ceterum prognosis pro majori minorive metu, ne irritatio intestinalium transeat in inflammationem, quem metum augebunt acrimonia contentorum, doloris vehementia et mali diuturnitas.

Gura pro gradu irritationis, aegri natura et causis occasionalibus diversa sit oportet. Quae ex intemperantia ciborum duriorum, dyspeptorum oritur diarrhoea, nisi justo gravior, naturae tuto relinquitur, namque haec diarrhoea ipsa remedium est ac crebro intra spatium viginti-quatuor horarum, evacuatis sordibus sistitur. Nulla hic medicina opus est, nisi leni-

(1) *Celsus*, de med., Lib. IV. cap. 19.

(2) *Hippocratis Aphor.*, Sect. I. Aph. 2.

ter demulcente: v. c. decocto hordei, dec. althaeae, vel simili remedio, quorum demulcentium administrandorum eo major necessitas erit, quo delicatior aegri constitutio. Omne ceterum refrigerium in hac, quemadmodum in omni diarrhoeae specie, evitandum est, quandoquidem frigus externis corporis partibus admotum per se facile producit irritationem intestinorum, eamque igitur, quae jam existit, facile auget. Quodsi vero parcior sit alvus et signa sordium infra turgentium manifesta sint, tunc leniora eccoprotica vel potius resolventia conueniunt: extr. gram., extr. tarax., extr. cich., alia, nec non clysmata mucilaginosa, quibus naturae molimina imperfecta promoveantur. Horum autem medicaminum delectus ad propriam aegri naturam et vel maxime ad conditionem intestinorum prudenter accommodandus est. Signa materiae supra turgentis: nausea, ructus acidi, ingrati, vomituritio, sapor oris maxime depravatus, cephalalgia frontalis, similia, emeticum ex ipecacuanha requirunt, quo cum invertatur motus peristalticus, nimis simul cohibebitur fluxus. Hoc scilicet interdum

fit solius naturae beneficio, quemadmodum *Hippocrates* observavit: »Longo alvi profluvio detento, spontanea accedens vomitio, alvi profluvium solvit» (1).

Si ex intemperantia potuum acidorum diarrhoea oritur et signa acoris ventriculi adsint, sine ceteris, quae emeticci administrationem requirerent, tunc absorbentia dantur: carb. pot. et sodae, magnesia, lapid. cancrorum, conchae praeparatae, similia, quorum delectus pendet e frequentia alvi vel promovenda vel moderanda. Adduntur vulgo cum demulcentibus sem. anisia, aqua foenic., similia, doloribus colicis accommodata.

Diarrhoea, cui ansam praebuit catharticorum abusus, emollientia, involventia spissiora requirit; solutionem saleb., decoctum consolidae, similia, addito opio. Huic scilicet ut gravior subesse solet intestinorum irritatio, ita major est inflammationis oriundae opportunitas, quam praevertere debet medicus (2).

(1) *Hippocratis Aphor.*, Sect. VI. Aph. 15.

(2) Cf. Stoll, prael. in div. morb. chron., T. II. pag. 220 seq.

§ 5.

De diarrhoea biliosa.

Diarrhoea biliosa originem petit ab aucta hepatis actione, qua sit, ut nimia bilis copia in canalem intestinalem effusa, ibidem irritationem producat, incitato motu peristaltico, auctisque secretionibus et excretionibus intestinalibus, et ventris terminibus manifestam.

Causae hujus diarrhoeae habentur: ira, terror aliacque animi affectiones, calor atmosphaerae insignis, refrigerium, abusus pinguium. Est hicce alvi fluxus endemius in regionibus calidis et, quemadmodum *Hippocrati* inter morbos aestivos recensetur (1), ita in nostra patria saepe fit morbus epidemicus sub finem in primis aestatis. Seminium proprium hujus diarrhoeae continetur temperamento cholericō.

Symptomata pathognomonica sunt: anorexia, sapor oris amarus, lingua muco flavo obsessa, ructus

(1) *Hippocr. Aphor.*, Sect. III., Aph. 21.

amari. acidi, vomitus biliosus, sitis praemagna, urina flava, crocea, cephalalgia frontalis, color faciei, circa nares potissimum, flavescens; tormina ventris, dejectiones flavo aut viridi colore tinctae, nunc minori, nunc majori copia excretae, cito sese subsequentes (1).

Prognosis in genere quidem non infausta dici potest, vulgo namque in simplici morbi specie sanantur aegrotantes; attamen alvi profluvium biliosum semper pertinet ad conditiones morbosas graviores, propter metum resorptionis nimiae bilis ex intestinis, qua scilicet, febre accedente, facile status putridus oriri posset.

Diarrhoea biliosa antibiliosam postulat medicinam. Initio interdum vomitorium adhibetur, si nempe signa materiae supra turgentis adsunt, et quidem vel tart. emet. vel ipecacuanha, prouti diarrhoea modica sit vel admodum copiosa. Nimirum per tartarum

(1) Cf. *Stoll*, Prael. in div. morb. chron., T. II. pag. 232 seq.

emeticum augeri solet motus intestinalorum peristalticus, per ipecacuanham imminui. Vulgo quidem ipecacuanha praferenda erit, attamen si parcior alvi fluxus, polycholia insignis et aeger robustus fuerit, melius esse crediderim tartarum emeticum dare, ut nempe supra et infra sordes biliosae expellantur; certe ipecacuanhae parvam dosin tartari emetici addere, ut non stringatur alvus, nec tamen nimium incitetur. Quodsi autem non sursum turgeat bilis, sed magna copia in intestina effusa sit atque diarrhoea critica haberi debeat, caveatur ab iis, quae criticum illud naturae molimen turbare possent, in primis ab adstringentibus, quippe quibus et retineretur bilis in cavo intestinalum et, stimulo stimulo addito, facile accenderetur inflammatio intestinalum cum omnibus ejus sequelis, quemadmodum exemplo illustratum legimus apud *Fridericum Hoffmannum* (1). Si diarrhoea sufficere videatur, sola convenientiunt demulcentia, dec. hordei, dec. althaeae,

(1) *Frid. Hoffmann*, Med. rat. syst. T. IV. P. III.
Sect. II. C. VIII. Obs. IX.

solutio saleb tenuior, similia, quibus bilis involvi, cicurari, atque intestinorum irritatio igitur temperari possit. Tormina ventris quo magis urgeant, quoque copiosior diarrhoea et major aegrotantis inanitio, eo spissiora requiruntur medicamina, quibus in tali casu non sistitur quidem excretio, sed moderatur tamen.

Quodsi autem tantum alvi profluvium esset, ut vita periclitari videretur, ad opium confugiendum foret. — Parcius alvi profluvium per dec. graminis et extr. graminis, sique nulla tormina adsunt, per decoctum graminis tamarindinatum prudenter promoveri debet, dum tamarindi, quemadmodum acida vegetabilia in genere, ad nimiam hepatis actionem temperandam jure merito celebrantur atque igitur causae diarrhoeae biliosae primariae accommodati sunt.

§ 6.

De diarrhoea catarrhali.

Universa catarrhi symptomata notant eam diarrhoeac

speciem, quae a natura sua *catarrhalis*, a qualitate excretorum vero *serosa* dicitur, quamque *Frankius* (1) his verbis describit et interpretatur: » Plurimi autumno, ubi corpus et aestate, et subinde meridianis caloribus agitatum, subito frigore corripitur, in levitatem, seu quasi sudores intestinorum aut inversam fere transpirationem, qua humor multus aquae similis exit, etiam pluribus diebus, incidunt. Tormina plerumque sat acuta flatuumque exclusionem urgentium fallax sensatio, praecedunt. Sequitur et citior et magis abundans per alvum exeretio; quo tempore et cutis angetur siccitas, et urinac parcus fluunt, et sitis increscit, et vultus, vel et corpus universum, forsitan anasarca laborans, citius collabitur. Coryzae persimilis hic morbus, seu verus intestinalium catarrhus est; quo, pro tuniceae villosae extensione amplissima, tensionis primum ingratae in abdome sensatio, alvus quidquam tardior vel etiam obstructa; mox vero copiosioris atque acrioris hic secreti humoris effectu, qua ra-

(1) *J. P. Frank*, l. l. pag. 235.

tione drastica id ipsum remedia efficiunt tormina, aliquique urentis frequens ac liquida depositio sequuntur." Lingua in radice albida, sed in marginibus et apice rubra esse solet; pulsus parvus, saepe contractus, vulgo acceleratus.

Inter causas hujus diarrhoeae praedisponentes recenti meretur magna et cutis et intestinorum sensilitas; inter occasioales aër humidus (1), frigidus, refrigerium corporis calentis, frigus praesertim vel abdomini vel pedibus etiam admotum. »Notum quoque est," sic scribit *Fridericus Hoffmannus*, »ex incessu nudis pedum plantis in pavimentum frigidum, nec non improvida pedum refrigeratione, cutim per omnem corporis ambitum stringi et tormina ventris, nonnumquam cum alvi fluxu, arcessi?" (2).

Prognosis universe satis fausta est, pendet ceterum e morbi gradu aegriique constitutione; si ex-

(1) *Hippocr.* Aphor., Sect. III. Aph. 16.

(2) *Frid. Hoffmann*, Oper. omn. T. I. p. 315. Edit. Genev.

cretiones copiosissimae sunt et diutius perdurant, in primis in infantibus et in genere in debilioribus, tunc prognosis infaustior redditur.

Haec diarrhoeae species naturam subphlogisticam habet, id est: non vera quidem ipsi subest tunicae intestinorum mucosae inflammatio, at ejusmodi tamen irritatio cum congestione, quae facile in inflammationem transeat. In ea curanda duplii indicationi satisfacere debet medicus. Indicatio causal is, quae jubet remediis uti ad restituendam perspirationem cutaneam aptis, requirit: regimen calidum, diaphoretica leniora, ut inf. flor. sambuci, vel inf. flor. cham. vulg., etc., parcas ipecacuanhae doses, praesertim etiam opium, vel pulv. Doveri; indicationi morbi, quae spectat irritationem mucosae intestinalis, optime satisfacimus remediis demulcentibus, emollientibus, mucilag. gummi. arab., dec. sagu, dec. oryzae, sol. saleb., similibus. Externe adhiberi possunt elysmata mucilaginosa cum syr. pap. albi, fomentationes aromaticae, involucra calida, balnea denique tepida, quorum, cum cutis perspirationem facile promoveant, egregius usus esse potest.

Recte enim *Stollius* dicit: »Si vero de ulla diarrhoea illud *Baglivii* valet, quod videlicet sudor diarrhoeis superveniens morbum sistat, id certo de hac specie in primis valet, utpote quae artificiali humorum perspirabilium ad superficiem corporis determinatione cito et pulchro sanatur.” Idem auctor methodum *Hoffmanni* commemorat, quam illustris auctor suis auditoribus tanquam arecanum saepius commendabat. Sequens erat: Daeger in lecto bene tectus, cubet, assumatque repetitis, sed paucis dosibus liquoris cornu cervi succinati cum liquore anodyno, desuper sorbillandum infusum menthae calidum: ut vero certius sudor moveatur, abdomini imponatur cataplasma ex fermento panis cum pulvere quodam aromatico et vino paratum. Sudor autem prorumpens debito regimine sustentetur aliquamdiu.” *Boerhaavius*, codem narrante *Stollio*, dabat primo granum unum opii, vel theriacam venetam, spiritumque vini cum charta bibula, vel aliud epithema calidum umbilico apponebat, sudoremque provocabat, quo erumpente sanata diarrhoea erat (1).

(1) *Stoll*, prael. in div. morb. chron., T. II. pag. 230 seq.

§ 7.

De diarrhoea mucosa s. pituitosa et verminosa.

»Excernitur per alvum aliquoties, larga satis copia, mucosa et pituitosa materies, unde *diarrhoea pituitosa* et *mucosa* nomen sortita est." Haec *Stollii* (1) verba definitionem diarrhoeae, de qua nunc agimus, comprehendunt historicam. Est vero blennorrhœa intestinalis, cuius causa proxima posita est in conditione morbosa cryptarum mucipararum sive follicularum intestinalium. Non raro sequitur post diarrhoeam gastricam vel catarrhalem,

Oritur ut plurimum refrigerio, humido, fridido autumno, praesertim in locis paludosis, utque igitur inter endemios nonnullarum regionum morbos recenseri meretur, ita non raro epidemice regnat. Secundum *Stollium* etiam ingesta tenacia, glutinosa, farinacea, debilitate primarum viarum et bilis inertia non bene

(1) *Stoll*, prael. in div. morb. chron., T. II. pag. 227.

subacta, huic diarrhoeae favent. Laxis, phlegmaticis, scrofulosis, iisque qui mala digestione et statu pituitoso intestinorum diu laboraverunt, in primis proprius morbus est.

Cognoscitur ex tumore, tensione, ponderis et plenitudinis sensu in abdomen, flatulentia, anorexia, lingua crasso muco obtecta. Excreta sunt nunc tenuiora, nunc tenaciora, mucosa, gelatinosa, glutinosa, alba vel cinerea, interdum cum nonnullis striis sanguineis juncta; nunc majori, nunc minori copia prodeunt, vel inodora, vel foetidissima. Excretio initio saepe levamen affert, sed brevis illud durationis est. Valde namque debilitantur aegri atque emaciantur. Numerus dejectionum diversus est: nunc diarrhoea celerem decursum habet, atque tunc dejectiones copiosae sunt, viginti vel triginta intra spatium 24 horarum; nunc diu durat per menses, imo vero per annos, atque hoc in casu dejectiones minores fiunt, ter vel sexies die (1).

(1) *Haase*, über die Erkenntnis und Kur der Chron. Krankh. B. III. Abth. I. pag. 230 seq.

Prognosis, si nimis longe durat atque igitur chronicæ redditur, satis dubia, praesertim apud infantes et pueros juniores, scrofulosi simul laborantes. In morbo recenti, a diarrhoea gastrica vel catarrhali superstite, prognosis satis fausta est.

In diarrhoea mucosa convenientia demulcentia, resolventia, tonica mitiora, fortiora, prout irritatio intestinorum adsit vel desit. Quodsi irritatio cryptarum mucipararum adhuc adesse videatur, quemadmodum e recenti diarrhoeae origine suspicari, e doloribus vero ventris excretiones vel comitantibus vel praecedentibus dignoscere possumus, demulcentia: dec. alth., sagu, oryzac, saleb vel similia medicamenta administrari debent; post vero, absente omni irritationis signo, resolventia et tonica remedia convenientia ad solvendum mucum morbose secretum et ad corrigen-dam functionem follicularum intestinalium, quod partim fit restituendo ipsorum tono, qui morbi diuturnitate frangi solet. E resolventibus murias ammoniae, e tonicis rheum, parca dosi administratum, praecipuam laudem merentur, in primis copulata.

Tanquam varietas diarrhoeae mucosae considerari debet diarrhoea verminosa.

Dignoscitur ex statu pituitoso intestinorum cum statu verminoso, ani nariumque pruritu, pupilla dilatata, cephalalgia aliisque helminthiasis symptomatibus. »Verminosam diarrhoeam, inquit *Frankius*, praevia vermium symptomata, pituitae quasi vitreae copiosa per alyum excretio, tum istius, tum animae foetor specificus, faeces griseae, magis vero corruptorum exuviae vermium, aut vermes ipsi, tum vivi, tum mortui, per intestina secedentes, interdum sanguis purus, vix multus, cum istis vel sine istis excretus, distinguunt” (1).

Est morbus aetatis potissimum puerilis. Interdum autem etiam adultos corripit. Subinde obvenit inter pueros tanquam morbus epidemicus eodem anni tempore, quo inter adultos diarrhoea mucosa saepius regnat (2).

(1) *J. P. Frank*, l. l. pag. 234.

(2) Cf. *Haase*, l. l. pag. 231.

Prognosis fausta, siquidem mature dignoscatur, nec pueros valde labefactaverit.

Diarrhoea verminosa, si copiosa sit atque cum magna intestinorum irritatione conjuncta, primum quidem demulcentia: dec. hordei, sagu, sol. saleb requirit, deinde vero anthelmintica, pro varia vermium specie, symptomatumque concomitantium natura varia: sem. santon., flor. tanac., asam foetidam, alia; postea vero, expulsis vermibus, tonica amara prosunt, in primis absynthium, quippe quod remedium anthelminticam virtutem cum virtute tonica habet conjunctam.

§ 8.

De diarrhoea inflammatoria.

Diarrhoea inflammatoria ea nobis dicitur, quam chronica producit mucosae intestinalis inflammatio (1).

(1) Cf. *Morgagni*, Epist. anat. med. XXI.

Broussais, Hist. des phlegmasies chroniques T. III. pag. 49 seq.

Haec inflammatio, quemadmodum anatome pathologica nos docet, vel totum occupat tractum intestinalem vel singularem ipsius portionem et in primis quidem intestina crassa, dum vel aequabiliter in membrana mucosa diffusa est vel ad folliculos sive cryptas muciparas limitata (1).

Quaecunque membranam mucosam intestinalem irritare et sanguinem in ipsam congerere possunt, causae dici merentur diarrhoeac inflammatoriae.

Huc pertinent frigus atmosphaerae vel aliud, ingesta acria, materies foeculenta, biliosa, acida, verminosa in intestinis accumulata; haemorrhoidam, catameniorum, lochiorum suppressio, rheumatismi, arthritidis, exanthematis retropulsio, alia. Etiam scrofulosa et tuberculosa corporis diathesis huic morbo favent.

Dignoscitur ex ventris dolore obtuso, vel leviori etiam vel fortiori demum pressione, tussi, sternutatione aliquaque corporis motu aducto, pulsu parvo, frequentissi-

(1) Rokitansky, Handb. der path. Anat. B. III. pag. 234.

mo, debili, febricula vespertina, extremis frigidis, facie collapsa, anxia, oculis cavis, tristibus, excretis nunc serosis, nunc mucosis, flocculentis, sanguinolentis, purulentis. Lingua justo siccior esse solet et vel tota vel ad apicem certe et margines rubicundior, sitis intensa, tenuibus affectis intestinis, nausea cerebra, crassis vero, in primis colo descendente et recto intestino, moles-
tissimi tenesmi.

Prognosis in morbo diutius quam par est sibi relieto aut male curato infaustissima, at vero etiam in inflammatione ad speciem leviori semper dubia. Facile enim ex inflammatione ista oritur ulceratio, quae varia ratione vitae periculum affert.

Cura antiphlogistica esse debet. » In diarrhoea inflammatoria,» sunt verba cl. *Suringar* (1), » maxime prodest sanguis quam proxime partibus aegrotantibus ipsis detractus, quo consilio adhibentur curcurbitulae abdomini cruento facto aptatae aut hirudines

(1) *Suringar*, Isagoge in doct. morb. chron. Tom. I.
pag. 85. § 273.

circa ani oram sugentes" Hirudines ad anum in primis proderunt, si causa diarrhoeae inflammatoriae, id est, inflammatio haeret in intestinis crassis, tum quoque si suppressio fluxus haemorrhoidalis praeceps morbo an- sam praebuisse videtur. Juvare etiam possunt, si intes- tina tenuia affecta sunt; tum vero plerumque magis conduceunt vel hirudines vel cucurbitae cruentae abdo- mini appositae. Si menses suppressi sunt, vulvae utili- ter admoventur hirudines. Magnitudo ceterum sanguinis detractionis cum gradu symptomatum, tum vero vi- ribus aegrotantis prudenter accommodanda est. Ad usum internum convenientia remedia emollientia, demulcentia: emuls. amygd., sol. gumm. arab., sol. saleb, similia. Etiam balnea tepida ad promovendam cutis functionem, nisi certe obsit nimia aegri debilitas, commendari me- rentur. Rheumatismus, arthritis, exanthemata retro- pulsia, medicinam postulant singulis revocandis aptam: rubefacientia, vesicatoria, locis primarie affectis ad- mota, frictiones, balnea, alia.

§ 9.

De diarrhoea ulcerosa.

Diarrhoea ulcerosa dicitur, quae ulceratione membranae mucosae intestinalis oritur vel sustentatur. Haec ulceratio, exitus inflammationis, in aegris dyscrasicis, phthisicis, febre typhoidea sive typho abdominali laborantibus, facile oritur. Tenent autem ulcera, quae vel pauciora vel plura sunt, aut folliculos mucosos, sicuti in typho, aut alias membranae mucosae partes. Neque vero semper subsistunt in tunica mucosa. Possunt enim et muscularem suppositam et ipsam etiam serosam tunicam corripere atque, hoc facto, perforationem canalis intestinalis producere.

Diagnosis hujus ulcerationis magnis premitur difficultatibus vel potius nulla datur certa. Alvi fluxus in hoc morbo sunt plerumque mucosi, purulenti cum striis sanguineis juncti, nonnunquam flocculenti, in-

terdum magis aquosi, saepe foetidissimi. Natura excretorum convenit igitur cum iis, quae alvo redduntur, ubi sola inflammatio adest sine ulceratione. Nec differunt reliqua symptomata hanc diarrhoeam comitantia. Symptomatibus igitur diagnosis superstrui non potest. Potest tantum, probabiliter certe, fluxus diurnitate, nempe si vel adsint vel saltem praegressa fuerint symptomata inflammatoria, aegri corpore cachectico, natura morbi, cui supervenerit vel a quo remanerit diarrhoea, tuberculosi nempe vel typho. Firmant autem diagnosin sanguinis excretio copiosa, sive improvisa vehementis peritonitis signa, quorum *haec* instantem vel factam perforationem indicant, *illa* vero vasa majora corrosa. Exempla diarrhoeae ulcerosae inter alios commemoravit *Andrallius* (1).

Est haec ulcerosa diarrhoea plena periculi habenda. Saepe, vel optimâ adhibitâ curâ, lethalis est. Prognosis igitur semper dubia. Potest tamen sanatio obtainere.

(1) *Andral*, Clinique médicale, T. I. pag. 211, T. II. pag. 624 seq. Edit. tert. Parisiensis.

Hanc igitur omni ope promovere debet medicus.

Diarrhoea ulcerosa eodem fere modo curari debet ac diarrhoea inflammatoria. Urgente dolore, hic etiam sanguinis detractiones adhiberi possunt. Minus tamen in genere indicatae sunt quam in diarrhoea simpliciter inflammatoria. Requiruntur igitur in primis, certe quamdiu irritationis symptomata adsunt, demulcentia: dec. alth., oryzae, emuls. amygdal., sol. saleb., similia, tum etiam lacticinia, dec alb. syd., aliaque euchyma, eu-pepta viribus prospicientia omnique stimulo carentia. Si vero evanuerint inflammationis signa, adstringentia tentari merentur, quorum vis salutaris in ejusmodi casibus experientia comprobata est. Inter mitiora praesertim aqua calcis celebratur, inter fortiora saccharum saturni atque nitras argenti. In his autem administrandis ut semper magna circumspectione opus est, ita abstinentum putaverim, ubi universa aegrotantis conditio radicalem curationem respuit.

§. 10.

De diarrhoea nervosa.

Diarrhoea nervosa adesse dicitur, ubi ex intemperie nervosa, nimia intestinorum sensilitate, causis systema nervosum proxime afficientibus, secretio membranae mucosae intestinalis et motus peristalticus ita augentur, ut ventris fluxus oriatur.

Haec diarrhoeae species, notante *Stollio* (1), in primis propria est hominibus delicatae compagis, hystericas, hypochondriacas, quique animi pathematibus magis obnoxii sunt.

Causae occasioales sunt animi perturbationes, ira, terror, gaudium, moeror, tempestas, electricitas atmosphaerae, similia.

Dignoscitur ex ortu subitaneo, doloribus ventris pressione non auctis, vulgo penitus intermittentibus,

(1) *Stoll*, prael. in div. morb. chron., T. II. pag. 224 seq.

difficili urinae emissione, stranguria, vomitu aliquo
symptomatis nervosis, ex aegrotantis temperie, in
hanc diarrhoeae speciem inclinante, e causis denique
praegressis vel perpetuo existentibus, quibus turbari
potuerit generis nervorum actio. Excreta tali in casu
solent esse parca, liquida, plerumque foetidissima,
saepe redeuntria.

Prognosis in genere satis fausta est. Saepe post
breve temporis spatium sua sponte cessat istud alvi
profluvium. Et hoc etiam si non fiat, artis auxilio
facile tollitur. Excipienda videtur diarrhoea ex moe-
rore. Haec enim, asseverante *Baglivi* (1), fere in-
curabilis est, praescritim si causa moeroris perstiterit.

Cura irritationi nervosac opposita esse debet. Remotis, quoad ejus fieri possit, causis occasionalibus,
si medicina opus esse videatur, opium omnia rem
absolvit. Etiam ipecacuanha, nec non hujus cum
opio connubium, laudem merentur. Bonum autem
est jungere ista remedia demulcentibus ad involven-

(1) *Baglivi*, Opera omnia, pag, 107. Edit. nonae.

da acria intestinis contenta, quibus diarrhoea promoveretur. Balnea tepida hic etiam prodesse possunt. Interdum fit, ut, causis licet remotis, simulac a medicina ista sedante abstineatur, redeat diarrhoea, ut igitur secundum vulgarem dicendi rationem habituallis fiat. Tunc emeticis de ipecacuanha quotidie vel alternis diebus repetitis, quam optime curatur.

Ad diarrhoeam nervosam etiam referri potest ea, quam in infantibus sympathica producit intestinalorum irritatio, a dentitione repetenda (1). Haec, nisi modum excedat, utpote revellendo de capite proficia potius quam nociva, naturae relinquenda est. Nimia demulcentia, refractas ipecacuanhae doses, in casu urgente, secundum *Hufelandum* (2), etiam opium requirit. Cum hoc remedio tamen in infantibus et pueris junioribus semper cautissime mercandum est, quoniam tam facile producit congestionem cerebralem, in quam maxima est hac aetate proclivitas. Auxilium

(1) Cf. *Budge*, allg. Path. pag. 274.

(2) *Hufeland*, Enchir. med. pag. 633.

chirurgicum, indicationi causali satisfaciens; in hac diarrhoea interdum omnem rem absolvit.

§ 11,

De diarrhoea atonica et paralytica.

Diarrhoea atonica vocatur alvi profluvium laxitate intestinorum ortum. Quae laxitas tum membranam mucosam tenere videtur ibique passivae secretioni serl et muci ansam praebere, tum etiam tunicam muscularem, cuius vim retentricem imminuit. Hujus autem conditionis morbosae summus gradus paralysis dicitur quaeque inde dependet diarrhoea, *paralytica* appellatur.

Haec diarrhoea senibus et exhaustis propria, causis debilitantibus nascitur. Potest autem cuiusvis diarrhoeae esse pedissequa. Scilicet diurna congestione,

quam in omni diarrhoea ex irritatione admittimus, facile frangitur tonus intestinalium irritationemque igitur excipit laxitas. Nec semper tamen in intestinali, interdum in medulla spinali primaria haeret paralyticae diarrhoeae causa. Sanguinis dissolutio, qualis in scorbuto et febribus adynamicis est, huic diarrhoeae etiam favet.

» Signa hujus diarrhoeae", secundum *Stollium*, quem, tanquam observatorem egregium, saepius laudavimus, » sunt corpus debile, pallidum, pulsus debilis, exilis, alvus statim deponenda inter murmura ventris, ut primum aliquid ingeritur; absentia dolorum colicorum, os non pravum" (1). Lingua pallida, humida est, abdomen molle, alvi fluxus aquosí non levantes, interdum inscio aegro. His igitur et causis cognitis et morbi diurnitate, tanquam firmo fundamento, diagnosis superstrui potest.

Prognosis infastissima est, quum senes et exhausti

(1) *Stoll*, 1.1. pag 223 seq.

tos corripit, quum in febribus adynamicis appareat aut vitio medullae spinalis tribui debet. In ceteris pendet potissimum e morbi gradu et diurnitate.

Quod ad curationem attinet: diarrhoea atonica remedia tonica, vel amara vel adstringentia, postulat: corticem cinnamomi, rad. columbo, cort. simarubae, succum catechu, gummi kino, cort. cascarill., rad. ratanh., rad. tormentillae, cort. peruv., martialis; vere paralytica, arnicam etiam, tam flores quam radicem, nucem vomicam, similia: delectu ad morbi gradum aegriique naturam accommodando. Opiata hic non convenient. »Licet enim,» est animadversio *Stölli*, »pro tempore diarrhoeam hanc ex laxitate oriundam sistant, ea tamen postmodum gravior reddit, et pertinacior.» Hic quoque inflictiones spirituosa, camphoraceae vel de oleis aethereis; fomentationes calidae, aromaticae; enemata adstringentia ex dec. rad. arnicae, cort. simarubae, similibus convenient (1).

(1) Cf. *Stöll*, 1.1. pag. 223. *Haase*, 1.1. pag. 235, 245 seq.

§ 12.

De cura diarrhoeae diaetetica.

Superest, ut nonnulla addamus de cura diarrhoeae diaetetica, quam hactenus nonnisi obiter tetigimus. Haec autem maximam fere partem curationis constituit et saepe sola sufficit ad diarrhoeam sine medicamentis sistendam. Neglecta vero hac curationis parte, therapeutica auxilia vix quidquam juvabunt. » Nisi ventrem simul pedesque, » sic *Frankium* legimus praecipientem, » a frigore foveamus, sat raro illa (auxilia therapeutica nempe) proficiunt. Nec minus vel optima remedia non ob aliam rationem toties incassum adhibentur, quam quod aegri, in morbo tam taedioso ac tam facile reddituro, regiminis strictioris impatientes, vix quidquam sublevati, monitis medicorum recalcitrent, ac vel in victu, vel in potu vel aliis in rebus iterumque delinquent. Hinc summa

in delectu ciborum ac sobrietatis in legibus observandis cura diu et morbo adeo jam, ut videtur, devicto, ponenda est. Fructus horaei, olera, potusque in fermentationem proni, cibi pingues, stomachoque graves cane pejus et angue fugiantur; panis vero biscoctus, carnes tenerae, assatae potissimum, farinacea, ova recentia, parca manu sed saepius offerantur, oportet. Potus copiosus cibos per intestina citius praecipitat: hinc parcus hic esto, vel ex aqua melius destillata, cui tosta panis crusta et cort. cinnam. integri portio commissa fuerit, vel, quibus id rerum inopia non vetat, ex vino generoso” (1).

Hacc *Frankii* praecepta non ita sunt accipienda, aesi eadem diaeta conveniret omnibus diarrhoeicis. Quemadmodum enim in omni morbo, sic etiam in conditionibus morbosis, quae diarrhoeae subsint, diaetetica cura respondere debet curae therapeuticae. Aquam cinnamomi, ut hoc utar, et vinum generosum dare in diarrhoea inflammatoria, esset oleum

(1) *Frank*, I, I, pag. 250.

igni addere. Haec tantum iis convenire possunt, qui diarrhoea atonica laborant. Nec semper nocebunt, imo vero subinde proderunt, in diarrhoea nervosa. In omni vero diarrhoea, cui irritatio cum activa congestione subest, potus tantum demulcentes, aqua oryzae v. c. et cibi omni stimulo carentes, amylacei, de oryza, de amylo marantae, similibus parati, aegris concedi debent. In diarrhoea atonica victus carneus commendandus, aromata, vinum rubrum gallicum.

TANTUM.

THESES.

I

Medicorum est cum *Cicerone* dicere: »Naturam optimam ducem, tanquam deum, sequimur, eique paremus.“

II.

Hepar est organon sanguinem depurgans.

III.

Epiglottis in deglutitione non solum inservit ad claudendum laryngem, ne cibi vel potus illabantur.

IV.

Endocarditidis symptomata, quae observantur post rheumatismum articularem, non indicant morbi metastasin.

V.

Recte *Chouiant*: »die ehemalige Meinung, als kämen die Würmer von aussen her in den Körper, ist völlig grundlos.

VI.

Nisi vermes expellantur, morbus verminosus *certo* dignosci nequit.

VII.

»Braucht man ein energisches Mittel, so wende man es auch in voller Kraft an, weil man nur dan volle Wirkung hoffen darf.“

PÖSNER.

VIII.

Digitalis in hypertrophia cordis simplici, id est, non complicatâ cum aliis hujus organi vitiis, commendari

meretur; ostiis angustatis et valvulis non bene clausis, caute cum è mercandum est; in dilatatione passivè contraindicatur.

IX.

In *pleuritide vera* remedia topica, ipsi loco dolenti apposita, magni sunt momenti.

X.

Itaque vesicatoria, quamquam in initio hujus morbi nocent, in ulteriori ipsius decursu valde prodesse possunt.

XI.

In empyemate thoracis paracentesis non nimis urgenda est.

XII.

Reete el. *Stromeyer*: »al die gevallen, waar de aderen over de geheele uitgebreidheid van een of zelfs van de beide onderste ledematen zijn aange- daan, moeten als *kruidje roer mij niet* (noli me tangere) beschouwd worden.“

XIII.

In herniis ex inflammatione incarceratis primum remedium est Venae Sectio.

XIV.

Si parturientibus uteri haemorrhagia periculosa accidat, optimum auxilium in absolvendo partu habemus.